B. N. C.
FIRENZE
1062
30

Hi 4042.30

Digitized by Google

1662
38

PANEGYRICUS,

Qvem

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DN. HENRICO LIB. BAR. A FRIESEN,

DYNASTÆ SCHONFELDII, GRAUPÆ, JESSENÆ, PUZKAVIÆ, PRATZSCHWIZII, ETC. ETC.

POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIS COMITI,

SENATUS SANCTIORIS PRINCIPI

HEROI IN TOGA,

DIVO,

AUCTORITATE JUSSUQVE PUBLICO

DIXIT

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHIUS.

A1

VVITTENBERGÆ

Ex officina MATTHÆI HENCKELII, *Acad. Typographi.*

ANNO CHRISTI cIɔ Iɔc LXXXIII.

1062·30

MAgnum aliqvid, & ſupra vires mihi ſumo, Principem conſilii laudaturus, qvem ſua gloria defendit, nec ſine reprehenſione non colit poſteritas, & multis arduisqve rebus cognitum gratâ recordatione proſeqvitur, & virtutis admiratione diſtingvit, nomenqve cœlo inſerit, qvod nulla mortalis conditio capiebat. Etenim purpuræ honor, & altisſimus gradus ſæpe non merentium præmia ſunt, & fortunæ beneficio plerunqve contingunt: ſed divina animi vis, & capacisſima indoles, lumenqve judicii æqvabile & conſtans, per ſe æſtimantur & fulgent, paucisqve obveniunt, ac ſplendorem inter adverſa retinent, & ſingulari qvodam atqve cœleſti munere impertiuntur. Qvæ ſic qvidem obtinebat HENRICUS FRIESIUS, ut ſuo jure complecti & poſſidere videretur: qvin plura merebatur, ſi nova qvædam & inſignior ad tantas laudes acceſſio fieri potuiſſet. Res verò ſemper maximas gesſit, & poſt homines natos ſapientisſimè moderatus eſt, nec minùs domi, qvàm foris ampla & impedita negotia con-

fecit, qvorum fama latè pervaſit, ſed copia me obruit, & magnitudo qvoqve obtundit. Nam ſingula referre, nimium, & univerſa attingere, ſine feſtinationis culpa non licet, ac leviter indicare, curſimqve tranſire, dignitati non ſufficit, aſſeqvi autem difficile ac incertum, & verbis æqvare vix posſibile eſt, qvippe qvæ ſummus qvisqve ducit in maximis, & Proceres ipſi in faſtigio potentiæ imitari geſtiunt, ac tacitè mecum ſuſpiciunt & venerantur. Atqve id ingentibus ejus meritis dant, & iſtâ pietatis ſignificatione efficiunt, ut palam intelligatur, unde nam repetendus ſit vigor, qvi HENRICUM ad capeſſendam rempublicam excivit, qviqve in eo ſemper ſe aperuit, lacertosqve movit, & proſperè eluctatus eſt, atqve in omnem partem ſe verſâvit, ut neqve ulli labori cederet, neqve fatigando elangveſceret & frangeretur. Igitur ex æterna ſede devocatus, & Saxoniæ tantùm commodatus eſt FRIESIORUM ſangvis, qvem profectò lætum ſidus fovit & extulit, ac dignè adeo apteqve finxit, ut procrearetur HENRICUS, qvi patriam immortali cum laude ornaret, atqve in republica, & terrarum orbis luce verſaretur. Majores eqvidem HENRICI fortes eſſe, qvàm dici maluerunt, & inter Alpes ac arma vitam, & multas æ-

tates

tates glorioſè exegerunt, Helvetiamqve famâ & cumulatiſſimis factis impleverunt: at cum deinceps qvorundam ſeu indignatio, ſive libertatis odium Martio populo grave moleſtumqve eſſet, & nihil ſanctum inviolatumqve relinqveret, progreſſi in has finitimasqve terras, avitam regionem, non antiqvam fidem animumqve mutârunt, & priſci moris conſtantiam Saxonicâ gravitate temperârunt. Qvibus uſuvenit, qvod Sabinis qvondam, qvi recepti in urbem, innocentiâ & charitate patriæ non modò non conceſſerunt Romanis, ſed qvoqve iis cum ingeniorum ſimilitudine, tùm conſiliorum ſocietate peropportunè & auſpicatò ſe conjunxerunt, & animorum voluntatumqve conſenſu, arctiſſimoqve adeò concordiæ vinculo, pari æqvové jure coaluerunt. Simul ac enim FRIESII adſcripti ſunt civitati Miſnenſium, ſanctisſimo laudis fœdere copulati, & in Senatum Principis acciti, fide armorumqve uſu cum indigenis ſe exæqvârunt, atqve in partem rerum deliberationumqve graviſſimarum venerunt, nec ſolùm ſocii & comites, ſed duces etiam maturi prudentisqve conſilii extiterunt, ut qvi æqvè utilitati, & auctoritati publicæ obſeqverentur. Neqve reticeri debet, & laudari expedit, qvod FRIESIORUM magnitudo, operum-

qve fama diu in Variſcis eluxerit, & priùs ibi ſedem domiciliumqve habuerit, qvàm transmiſſa eſt ad Hermunduros, unde confeſtim migravit ad Saxones, & penetravit in proximos fines, qvos longo flexuoſoqve tractu Albis interfluit ac rigat. Fuit hæc via creſcendi expedita & felix, nomenq; eorum Genti Brandenburgicæ, qvæ ad montes incolit, notum charumqve reddidit, ac aliqvanto poſt FRIDERICO Forti, Miſnenſium Principi, inſigniter commendavit. Qvem Principem nominare ſatis eſt, qvod Rempublicam vitio temporum prolapſam inſtauraturus, FRIESIOS conſilio adhibuit, qvorum fideli operâ adjutus, animum ſuperioribus curis moleſtiisqve feſſum collegit, ac ultrò faſſus eſt, omni conatu atqve ſtudio ad ſervandum ſibi poſterisq; jus, auctoritatemqve firmandam incubuiſſe. Haud mediocriter tunc belli pacisqve artibus meriti ſunt, & nulli operæ pepercerunt, qvippe cum in ea tempora inciderent, qvibus & regionis fines cuſtodiri, & præfecturas poſſeſſionesqve ordinari, & vectigalia, qvæ imperiorum nervi artusqve ſunt, conſtitui oportebat. Vix acceſſerant ad tam grave ſplendidumq; munus, qvùm partâ laboribus gloriâ fruebantur, & Miſniam Thuringiamq; in antiqva ſede ſiſtebant, & agros, urbes, ac vicos

cos ferme deſertos, ſituq; ſqvalentes denuò excolebant, diligenterq; curabant. Poſthac fauſtis initiis, majoribusq; incrementis ſenſim ab ſtirpe ſua, tanqvam à fertili arbore, multos atq; egregios ſurculos propagârunt, & opulentas ac florentes domos ſobolesqve condiderunt. Omitto neceſſitudines cum SCHONBERGIIS contractas, & HAUGWIZIORUM affinitates prudens ſciensqve prætereo, neq; arceſſo EINSIEDELIOS, temperoq; mihi, qvominus ad CAROLOWITZIOS, BUNAVIOS, BOTTFELDIOS, GERSDORFFIOSq; excurram, in qvorum familias ortu & genere ſimilimas FRIESIORUM ſangvis defluxit. Ab his fontibus ducti ſunt maximarum laudum rivuli, aut potiùs integra flumina promanârunt, plenoqve alveo delapſa, in Henricum ſeſe effuderunt, & nectar qvoddam ſcaturiginemqve cœleſtem, incredibili & prope immensâ copiâ, in mentem animumqve ejus deduxerunt. Qvas ingenii opes crebrò & largè aperiebat, ſed adeò non deminuebat unqvam, ut qvoque utendo valde eas augeret, nec modò amnes, qvi nullo tempore exareſcunt, ſed maria ipſa imitaretur, qvæ qvanto plus reddunt, tanto cumulatiùs redundant, qvantoqve magis ſe fundunt, tanto minùs exhauriuntur. Qvare contento curſu & ſponte incitatus, ſemper prome-

bat aliqvid, & libenter ſuppeditabat aliis, præſertim merentibus, ac nihil ſeponebat ſibi, qvod cuiqvam utile duceret, theſaurosqve vero & interiori pretio æſtimatos, qvos multi abditos cupiunt, ſine diſcrimine famæ aperiebat, ſineqve metu inopiæ exponebat. Cur enim defoderet, qvi eis ſic abundabat, ut egere non poſſet? Cur negaret difficilisqve eſſet, qvi in vitio ponebat invidiam, ac nihil faciebat illiberaliter, volebatqve enixiſſimè, ut nemini honeſta emergendi via intercluderetur? Gravis in paucitate jactura eſt, atqve hæc una res multos avertit, & aliò inclinat, ac leve compendium ſvadet, ſæpeqve efficit, ut regendi artes ſpecie commodi metiantur & mutent, ac ſuæ & publicæ dignitatis obliviſcantur. At fidus ille principalium negotiorum adminiſter non cellas tantùm locupletes & plenas, ſed refertiſſima horrea patefaciebat, atqve de hac magnitudine, & voluntate benefaciendi nunqvam dimoveri poterat, atqve his rebus etiam patriæ & famæ pariter ſerviebat. Neqve enim fieri poterat, ut ſibi non conſtaret, qvi eam agendi rationem uſqve ab ultima ætate tenuit, atqve hos mores ſanctos & integros in rempublicam intulit, ſummaqve ope ſtuduit, ut honeſta inſtituta bonis legibus confirmarentur. Qvod ubi percrebuit, paulatimqve

ad

ad exteros dimanavit, velut dato qvoddam ſigno, oculos animosqve advertere, & vocibus literisq; prædicare ſapientiam, ejusq; non falſam, nec aſſimulatam ſpeciem confiteri ultrò, & paſſim certatimqve admirari cœperunt. Habent hoc magnæ mentes, & jure ſuo præcipuum, ac facilè proprium habent, ut rerum factorumqve gloriâ protinus ſe à vulgo ſeparent atqve disjungant, ſuaqve vi ſe moveant, & ſublime petant, altiusqve nitantur, & acriùs pergant, flammamq; objectæ caligini reſiſtentem, tenebrasqve diſſipantem imitentur. Qvocirca originis ſuæ memor togatus Heros, majorum cineres novis igniculis ſemel iterumqve excitavit, & ab ea terra, qvæ Auguſtos Habsburgios genuit, vires maximas traduxit, ac demiſit in ſangvinem, & illinc amoris in Cæſares, ac fidei erga Saxones hereditatem cepit, & omni reipublicæ ſtatu, optimarum qvoq; partium fuit. Deinde Luzelburgios aſcivit in fœdus, & contractâ neceſſitudine domui ſuæ innexuit, arcteqve conjunxit, qvorum familia primis regni Lothariani auſpiciis fundata, diutiſſimè crevit & floruit, Principumqve ſtirpes antiqvitate generis vel aſſecuta, vel æmulata eſt, atqve in Saravi limite ſummâ ſemper felicitate ſtetit. Teſtem voco Galliam, præſertim Belgicam, elegantiæ

magiſtram & ducem, qvæ hoſpitem eum nacta, libenter accepit, juvenemq; amplexa eſt, & bene habitum Saxoniæ reddidit, ac deinceps aulæ honoribus functum, & impetratâ miſſione reverſum magnopere coluit, ac ſummis affinitatibus junctum feliciter domum remiſit. Mox gravitate moris, & ſanctitate vitæ, & agendi expeditâ ratione regum gentiumq; animos ſibi devinxit, & Saxonis præcipuè gratiâ floruit, clavumqve conſilii tenuit, ac divinas humanasq; res ſapienter & juſtè adminiſtravit. Cautus ubiqve & ſagax, nunqvam ſecurus aut negligens, præſertim cum ex rerum temporumqve conditione capiendum conſilium eſſet: interdum prudenti cunctatione velut ex longinqvo ſpectator, gnaruſqve occaſionum, qvas in utilitatem publicam vertit, & incerta caſuum providit, gnaviterqve correxit. Nec eo ſeciùs in celeritate momentum poſuit, & dicta factis conjunxit, ſi duceret moram eſſe inutilem, haberetq; negotii maturandi multas pariter & idoneas cauſas. Præcipitia autem ſemper, & ſummo ſtudio vitanda cenſuit, atqve inſtantia etiam cogitatione præcepit, & ſingulari, nec facilè imitandâ ſolertiâ rationem iniit atqve invenit, qvâ vel circumſpectè emendari, vel opportunè anteverti poſſent. In Senatum adſcitus, omnes

ſuas

ſuas curas ad publicum decus contulit, & odio ac irâ vacuus, ſententiam dixit, nec audendo potens, ſed ſvadendo efficax eſſe voluit, neqve ab eo inſtituto unqvam, ne gravi qvidem ſenectâ, receſſit. Duos Principes, cum dignitate eligendi Cæſares, tùm famâ rerum maximos, eoſq; Saxonum Duces induſtriâ vitæ, & fide meritorum continenter ornavit, & nihil ad augenda eorum commoda, laudemq; amplificandam prætermiſit, atqve ita hæc munia obiit, ut utiqve in pretio ac honore haberetur. Non facile dictu eſt, nec, ſi dicam, credibile videtur, qvantâ ipſum benevolentiâ complexus fuerit ille propugnator libertatis JOHANNES GEORGIUS I. cujus non ingrata poſteritas meminit, cujusqve in animo firma pietas, & invicta conſtantia certabant invicem, ſedemqve figebant. Is verò non expectanti, nedum prenſanti Henrico aditum gloriæ patefecit, gradumqve ſtruxit, qvò ſe tolleret altiùs, nec viam inſiſteret declivem & lubricam, procederetqve tutiùs, & ſine lapſu ac faciliùs aſcenderet, atqve ad ſummum cacumen eniteretur. Morem geſſit ſuo Principi, & relicta à Patre veſtigia ingreſſus eſt, ac longum plenumqve gloriæ iter habuit, nec ullâ laſſitudine retardatus ſubſtitit, aut velut in loco iniqvo vacillavit unqvam, leviq;

caſu deflexit, ſed in ampliſſimo rerum campo ſine langvore & labe procurrit, neqve infelici niſu, & integrâ laude ad metam pervenit. Diſtractis in republica animis, peritos nautas imitari ſolebat, qvi non ſolùm tranqvillo, ſed etiam turbato mari navem regunt, &, qvanto poſſunt labore, cavent, ne eam impellant in ſcopulos, ſaxisqve illidant. Non enim minùs animo, qvàm uſu regendi valebat, & curſum ſæpe obliqvum, vento non ſecundo tenebat, atqve cedendo interdum vitabat periculum, ſapienterqve vincebat. Qvinimò nulla tam magna, tamqve formidoloſa tempeſtas orta eſt, qvæ eum movere poſſet, ut incepto deſiſteret: nec metus naufragii tantus extitit, ut impediret, qvominus tabulam objiceret, feliciterqve enavigaret. Qva ex re permagnam laudem conſecutus eſt, & vigilantiæ deinde præmium tulit, atqve à pio & pacifico Principe JOHANNE GEORGIO II. ſummam gratiam iniit, & aſſenſu omnium, atqve æqviſſimâ voluntate procerum, & ſuo ipſius merito is viſus habitusqve eſt, qvi diu, & ſiqvidem lex fati ſineret, perpetuò ad gubernacula reipublicæ ſederet. Itaqve fauſtâ purpuratorum acclamatione & plauſu, in locum SEBOTTENDORFFII ſublectus, dignam principe Senatore perſonam ſuſtinuit, & conſilium,

um, qvod divinâ ope auſpicatus eſt, cum ratione perfecit, fortunamqve ipſam ſapienti judicio conſtituit & gubernavit, ac nihil dixit & cenſuit, nihilqve egit & molitus eſt, qvin è republica eſſet, & dignitati commodoqve Saxonis ſerviret. Religionem, & animi ſanctimoniam ſincerè amavit, & conſtanter profeſſus tutatusqve eſt, ſed religionis nomen nulli conatui injuſto, qvamvis ſpeciosè excuſando, prætendit, multorumqve aberrantem audaciam ſæpe caſtigavit, & qvantum in ipſo erat, diligenter compresſit, neqve connivendo paſſus eſt, ut ſerperet iſta contagio arrogantium, qvi rem optimam non reverenter ſerendis litibus adhibent, & pro ſtudio ac odio ſumunt & ponunt, & plerumqve ingenium, rarò pietatem demonſtrant. Æmulationi, tanqvam peſti conſiliorum, infenſus, pacem imperii ſanctè fundatam, & ſponſoribus teſtibusqve Regibus, & Principibus ſummis firmatam omni ſtudio ac ſolicitudine defendit, eamqve non argutè, nec iniqvè interpretatus eſt, & finium præcipuè controverſias, unde pax qvieſqve pendet, ſine verſutia & calliditate diſceptavit. Non poterat facilè reperiri alius, qvi rationibus perinde idoneis, ac ſvadendi auctoritate efficeret, ut ſervaretur communis tranqvillitas, & teneretur poten-

tiæ modus, qvo imperia, qvaſi pondere ſuo librantur. Creſcendi qvidem cupiditas plerosqve transverſos agit, atqve venenum imitatur, qvod interdum guſtatu dulce, ſed effectu noxium, exitioſumqve ſentitur, nec idem in fundo, qvod in ore vaſis eſt, & cum in venas ſangvinemqve influit, tùm inauſpicatò ſe prodit & exerit, corpusqve proſternit, & in ruinis qvoqve deliteſcit, ac inſidiosè dominatur. At præmunitus Henrici animus, & naturâ conſvetudineqve firmatus, hanc pernicioſæ voluptatis illecebram ſemper odit, ſapienterqve vitavit, atqve eam in curia & congreſſibus oppugnavit & ſuſtulit, atqve hoc aſſecutus, in medium conſuluit, cauſasqve belli ante bellum non impetu, ſed judicio & æqvitate terminavit. Nec tamen gravitatis ſuæ oblitus eſt, ſi contra ambitionis tela comparandum præſidium eſſet, ſiqve ratio temporum, & rerum neceſſitas ſubſidia & ſocietatem armorum poſtularet, maximeqve libertas peteretur inſidiis, & reſpublica veniret in periculum, atqve ejus cives laceſſerentur injuriis, & tantùm non opprimerentur. Etenim libido animi, qvæ nullis regnandi finibus ſe continet, flammæ ſimilis eſt, ac patefacto aditu libèriùs erumpit, & ubi materiam præbeas, vehementiùs graſſatur, vireſqve motu colligit, ac ſummas

qvas-

qvaſqve moles corripit, vicinisqve imminet, ac latè vaſtat, ædiumqve faſtigia & turres disjicit atqve conſumit. Qvod ne accideret, in virtute Henrici poſitum erat, qvoniam is multùm ſeduloqve annitebatur, ut flagrantior iſta cupiditas celeriter ſedata qvieſceret, & ſi qvod inde excitatum eſſet incendium, continuò, & ſi fieri poſſet, non humano ſangvine, cujus ſemper fuit parciſſimus, ſed ſuâ & arbitrorum operâ, honeſtisqve conditionibus, ne ſcintillâ qvidem relictâ, reſtingueretur. In qvo genere unus omnium prudentiſſimè verſatus eſt, & cujuſqve Principis robur ac nervos, apparatusqve & vires velut in lance appendit, atqve in eo ſpem curamqve locavit & fixit, ut diffidentes redigeret in gratiam, & offenſos placaret comiter, ac qvævis aſpera miti qvodam & apto temperamento leniret. Eam ob cauſam domus Henrici florem totius Saxoniæ ad colloqvia & congreſſus invitavit ac traxit, ſummisq; familiis patuit, & ſtudiis ſermonibusq; Procerum culta & freqventata eſt, atqve à Principum rerumqve publicarum internuntiis crebrò adiri & appellari conſvevit, non adverſante JOHANNE GEORGIO, qvi curas, & conſilia, & omnes res maximas uni ipſi tutò credidit atqve commiſit. Nihil enim in qvæſtu habuit, niſi rei

bene geſtæ laudem, perfectamqve virtutem, qvæ ante fructus reddidit, qvàm ſurgere credebatur, atqve hæc maturitas, qvamlibet in paucis reperta, & incredibilis, eum nullo modo impediebat, qvin per gradus, & qvaſi numeros iret, privatusqve oſtenderet, qvid publicè egregium duceret, & qvo vitæ genere mereri in poſterum, qvavé induſtriâ & fide complecti & ornare patriam vellet. In ea cogitatione defixus, cepit conſilium viſendi Cæſaris, & miſſos ab Saxone Oratores proſecutus, in Bojemorum urbem, gentis illius caput & ſedem, atqve ab Auguſto ad ſpatium commorandi delectam, & Legatis ſummisqve hominibus affluentem intravit, qvaſiqvé voluntarii militis munia occupans, jam in eo togatorum Principum campo curſum ad honores ſibi apertum eſſe, non vanè credidit, datoqve mox experiendi loco, in luce aulæ, & qvod caput rei eſt, in conſpectu FERDINANDI III. ſe ad negotia contulit, pulchreqve ſtetit. Qvod lætum qvidem habuit creſcendi initium, præſertim cum diviniore qvodam fato commoda occaſio ſe daret, eiqve in ampliſſimam gloriam verteret, maximè ſub id tempus, qvo non è ludo juventutis ut tyro, ſed ut tribunus, ductorqve ordinum diu exercitatus & firmus è palæſtra exibat, ſtatimqve Imperatoris animum

mum gravitate & facundiâ tenebat, & aulæ ſpem dignitate rerum adæqvabat, atqve expectationem omnium, qvi advenerant, non minùs uſu confirmabat, qvàm eventu admirabili ſuperabat, &, qvod ei tunc opportunum accidit, â Saxonibus Aldenburgi & Vinariæ Ducibus ad ſuſcipiendam maximæ laudis provinciam arceſſebatur. Qvorum mandata ſimul ut perlata ſunt, diligenter & ſine mora expoſuit, vicesqve etiam in capeſſendis lege beneficiariâ ſolennibus decorè & ſapienter obiit, tantumqve ſplendoris legationi attulit, ut in coronâ gratulantium velut Turnus incederet, maximeqve inter ſocios emineret, feſtumq; poſtea hunc diem haberet, qvo Saxonum fidem Cæſari ritu veteri & ſancto aſtrinxiſſet. Ab illo tempore inter ſe amârunt ſummi Principes, & voluntates viresqve ſemper conjunctas habuerunt, rationemqve ſecuti optimam, nullisqve diviſi ſtudiis, naſcentium qvoqve malorum initiis extemplò reſtiterunt, & æterni pariter Auſtriorum imperii, atqve invictæ Saxonum conſtantiæ, novo & auſpicato fœdere jam feliciter munitæ exemplum, ſententiâ moribusqve comprobatum, eadem deinceps religione & fide ſucceſſoribus atqve poſteris imitandum tradiderunt. In qvo magni fuit Henrici opera, atq; in Comitiis deinde ma-

E gis

gis cognita eſt, & Ratisbonæ in freqventisſimo Cæſaris Principumqve conſeſſu maximè explenduit, ac mirificè omnibus placuit, multumqve reipublicæ profuit, & in illo non dicam patriæ, ſed gentium theatro latisſimè patuit, atqve ad promerendam Divi FERDINANDI III. gratiam ſummopere valuit, nec minori applauſu, qvàm admiratione ubivis excepta eſt, atqve ei præter ceteros non dubiam, atqve inſignem laudis palmam reliqvit. Non eget præconio virtus, in qva ſummi rerum arbitri conqvieſcunt, curasqve deponunt, & in qva ſemper reperiunt, qvod ament & amplectantur: eò minùs reqvirenda ſunt hujus rei teſtimonia, qvò plura atqve illuſtriora exempla ſuppetunt tam egregiæ, & propenſæ in HENRICUM voluntatis. Vix ferebat abſentis deſiderium Saxo, nec Cæſar eum non ægrè dimittebat, qvem magno terrarum ſpatio ſejungi nolebat, illo præcipuè ſtatu, qvo multas, & graviſſimas Imperii res cauſasqve componi oportuit, & leges atqve judicia inſtaurata ſunt, & priſtina reipublicæ facies rediit, libertasqve conſtituta eſt, & poſt diuturnas belli miſerias, tandem pacis momenta iterùm, ac juris æqviqve rationes valuerunt. Qvibus ex animi ſententia, atqve immortali cum nominis fama peractis, adeò non togæ nego-

negotiis remittere nuncium voluit, ut qvoqve non levis culpæ ſe affinem fore putârit, ſi vel qvietis otiiqve cogitatio ſubiret animum, qvem diu multumqve ita præparaverat, ùt nunqvam vacaret à curatione muneris, aleretq; ſe laboribus, & haberet vigoris non inane pabulum, & omnia, atqve ipſa adeo vitæ tranqvillioris commoda duceret infra patriam, & ſeceſſum ſolitudinemqve erectâ indole, & firmâ ſententiâ aſpernaretur. Tùm vero poſt deceſſum FERDINANDI III. pro ſalute Imperii, proq; gloria Auſtriæ nihil non annitendum ſibi putavit, & AUGUSTI ſangvinis reverentiam ſancte inviolateqve ſervavit, atqve hanc pietatem cum Fratre CAROLO, omnium conſiliorum ſocio communem habuit, ac deinde in HENRICUM Filium, patrueleſqve & neceſſarios tranſtulit, adjutorqve operum Principis, & Comes, re præſtitit, qvod pauci ſperabant, & conſulendo agendoqve conſecutus eſt, qvod multorum ſeculorum memoriâ dignum habeatur. Nam aliqvanto poſt nutu providentiaqve divina effectum eſt, ut Germani in ſpem atqve cogitationem optimam inducti, deſiderium jacturamqve FERDINANDI III. in capace regnandi Filio ſolarentur, Principeſq creandis Cæſaribus inſtituti, in urbe antiqva, & Imperatorum auſpiciis ſanctâ,

apud Mœnum Francofurti convenirent, ſententiamqve pro LEOPOLDO dicerent, eumqve uno animo, & voce unâ AUGUSTUM renunciarent. Ibi in officiis fide & conſtantia tuendis planè explorata eſt HENRICI diligentia, nec facilè judicari potuit, utrum conſulendo opportunior, an efficiendo celerior eſſet, præſertim cum hanc operam Cæſaris pariter atqve ſalutis publicæ gratia ſumeret, & præſidium tutelamqve rerum graviter & aptè defenderet, hujuſqve conſilii, qvod culpâ vacabat, non mutandi rationes, & conficiendi fiduciam in Deo, atqve in ſeipſo haberet. Qvibus ſapienter conſtitutis, ad ſuos qvisqve reverſus eſt, & Saxo, majorum dignitate ſervatâ, ſponſor fidei pro gente ſua, æternam amicitiæ teſſeram AUGUSTO dedit, & viciſſim accepit, atqve hanc legem conſtantiæ ſibi ipſi indixit, ratus, non poſſe fieri, qvin magna imperia diſtrahantur & concidant, niſi fide & concordiâ, amoreq; & mutuis officiis contineantur. Cetera Purpuratis & HENRICO perficienda mandavit, qvibus neqve voluntas, neqve peritia & facultas defuit, multaqve inprimis ſuſcepta & geſta ſunt, qvorum non modò erat ipſe ſocius, ſed etiam auctor palam & merito diceba-tur. Confectis autem negotiis, & confirmatâ

pas-

paſſim virtutis opinione, nihil dabat laudi ſuæ, & modeſtiâ reprimebat invidiam, atqve æqvisſimo Cæſaris judicio, & rectè factorum conſcientiâ fretus, nihil ſibi, ſed Saxoni omnia tribuebat, nec magis aulæ, qvàm reipublicæ accommodabat ingenium, vitamqve, ſi opus eſſet, pro ſalute Principis paciſci cupiebat. Nunqvam fiduciâ, aut felicitate elatior, & ab his qvoq; alienior, qvi ſplendore ſuo aliorum gloriam libenter obruerent, neminemqve unà florere paterentur, & qvò ſe munirent magis, tollerentqve altiùs, eò minùs ferrent ſocium, & bene merentibus indignam ſæpe redderent gratiam, atqve imitarentur hederam, qvæ arborem arctiùs complexa ſenſim conficit, totamqve vim & ſuccum ejus extingvit. Adeò neminem, qvod multis familiare eſt, livore profligabat, ut qvoqve vitæ conſiliorumqve conſvetudine ſibi conjunctos diligeret plurimùm, & ſublevaret creberrimè, ageretqve partes interim, nec modicè non uteretur ſuis rebus, in qvibus ſumma ſemper temperantia, & ſingularis æqvitas, miraqve induſtria & comitas præcipuè enitebant. Poſtea Dreſenam regreſſus, non ſorte, in qva caſus valet, nec fortunâ, qvæ apud incautos dominatur, ſed Saxonis judicio, qvod in his regionibus ſummum eſt, obtinuit dignitatem

longè maximam, qvæ non falſo omine ſignificabat ipſi tradendam principis Senatoris provinciam, in cujus poſſesſione tunc qvaſi pedem poſuit, cum nihil minùs intenderet, & ordinis ratione, ſpatioqve ætatis remotior eſſet, qvàm ut vel de ea ſumenda cogitaret. Neqve intereſt, virtute, an felicitate maturaverit iter hoc arduum, qvod alterâ duce ſuſcepit, alterâ comite abſolvit, & ab utraqve initia rerum & cauſas, atqve hinc non ambiguos negotiorum eventus ſingulari ac expedito modo deduxit, & exemplo docuit teſtatusqve eſt, omnes regendi artes atqve doctrinas ab excelſa indole effingi, & ab inſito mentis vigore uſuqve formari. Neqve tamen non ſæpe ſe referebat ad literas, atqve in his condimenta laboris qværebat, & ſubductâ ratione tam jucundè, qvàm decorè adhibenda cenſebat, nec verò unqvam ſinebat fraudi eſſe feriis, multò minùs committebat, ut fierent, qvibus hominum temporumqve utilitati qvidqvam eriperetur. Sive enim jura eſſent deſcribenda provinciis, ſive agerentur publici maximiqve conventus, ſive qvædam tractarentur per epiſtolas & nuncios, ſive ultrò citroqve haberentur ſciti gravesqve ſermones, ſive de ſumma rerum caperentur conſilia, placuit ea ſine æqvalium invidia committi HENRICO, qvi ne

mini-

minima qvidem omitteret, in qvibus & ſciret, operam ſuã eſſe utilẽ, & poſſet ſatisfacere gloriæ Principis, nominiq́; ſuo. Inter hæc cum ducibus tribunisq́; conferebat, & de re militari, de ſociorum & hoſtium armis ſolicitè ſapienterqve diſſerebat, & qvibus cohortes & turmas Princeps committeret, opportunè circumſpiciebat, ùt erat naturâ cautus, uſuq́ve peritus omnium reipublicæ munium, qvibus à puero ſenſim & eleganter aſſveſcebat, pulchrumqve ducebat, verſari in imperio & magiſtratu, & conſulere in publicum, ac ſtare præſenti animo in periculis, qvæ vitanda, non inferenda eſſent. Hoc decus, hanc laudem ſibi proponebat HENRICUS, hoc agebat, atqve cogitabat, ut togæ belliqve conſilia bene procederent, non implicata æmulantium ſtudiis, nec impedita diffidentium erroribus, qvorum ſerò tandem auctores pœnitet, qvùm mala conſilia non felici exitu diſtingvuntur. Ab eo more conſtanter abhorruit, & nulla poteſtate arroganter ac immodicè uſus eſt, & inter proſpera atqve adverſa nihil per iram odiumq́ve admiſit, nec metui ſe, ſed amari voluit, neqve verò ſic minui auctoritatem paſſus eſt, qvam ſine cujusqvam injuria, & rectè tuendam eſſe judicavit, atqve eò omnes cogitationes ſuas contulit, ut plurimos beneficiis afficeret, alios

 ſæpe

ſæpe ſuis opibus ſuſtentaret, impotentes autem monitionibus ac minis deterreret. Nullos enim tam anguſtos virtuti ſuæ fines conſtituit, ut non ampliùs aliqvid in dies accederet, nullumqve tam exiguum gloriæ ſpatium circumſcripſit, ut non immenſo itinere ſe porrigeret, atqve exiret in ora remotiſſimorum hominum, famamqve perferret in regiones locorum intervallo disjunctisſimas, qvæ de laudibus ejus cognôrunt, miratæqve ſunt, qvod non ſolùm agendo accuratus & providens, ſed urgendo etiam firmus & alacer, ac inſtando qvoqve ſedulus & perſeverans, ac deniqve perficiendo aſſiduus fortisqve eſſet uſqve eò, ut tempora cum eligeret, occupare crederetur. Hinc rebus in Europa turbatis, aliqvoties viam invenit ad conciliandas voluntates Principum, & ſpe ſuâ non fraudatus, magnas & periculoſas eorum lites compoſuit, &, qvoad conſilio potuit, apud Saxonem effecit, ut nullam is ſeu faciendæ, ſeu firmandæ pacis occaſionem negligeret, Regesqve affinitate conjunctos, ſed opinione partiumqve ſtudio diſtractos, in concordiam reduceret, atqve à cogitatione præteritorum ad qvietem tranqvillitatemqve revocaret. Suis ſe perdere viribus, & alere inter cives diſſidia, copiasqve inſtruere adverſus amicos & ſocios, roburqve con-

fi-

ficere domeſticum, atqve aperire conſilia hoſtibus, & nudare præſidiis patriam, metiriqve ambitione jus, & ſpem ulciſcendi, atqve audaciam oſtentare pro legibus, turpe prudendumqve eſt, & indicat pariter ingenia, ac mores non agnoſcentium felicitatem, neqve æſtimantium libertatem. At enimverò HENRICUS è vita cedere maluit, qvàm non diligere rempublicam, aut non colere integris officiis Principem, cujus famæ ſemper conſuluit, & variantibus ſententiis, ut in magno reipublicæ corpore uſu venit, leniter admonendo profecit, contrariasqve & repugnantes opiniones mirâ qvadam facilitate ſuſtulit, atqve obſiſtentium animos inclinavit in reverentiam juris & legum, cauſæqve bonitate permovit ac vicit, ſtudiiſqve & rationibus Cæſari ſuffragatores conciliavit, mutuoq; devinxit, ut ſanandis reipublicæ morbis apta, & opportuna, atqve uſu comperta remedia afferrent, & eoſdem amicos hoſteſqve haberent. Qva de cauſa Saxoni, per literas legatoſqve invitato, auctor fuit proficiſcendi Ratisbonam, & officii memorem libenter atqve eveſtigio comitatus eſt, conſiliaqve amore in Cæſarem, & fide in Principem, atqve adeo utilitate Imperii moderatus eſt, barbaroſqve in Hungariam, & rem Chriſtianam infeſtos, collatis

Germanorum auxiliis repellendos cenſuit, qvòd ſpreto jure, ruptisqve induciis, multa eo in regno ſuperbè & crudeliter feciſſent. Religio pacti conventi, & Auguſti majeſtas, temporumqve ſtatus miſer ac dubius, & par rerum fortunarumq; omnium in illo terrarum limite diſcrimen, & pro dignitate patriæ labor, ac juſta ſolicitudo non leviter movebant HENRICI animum, vehementerqve incitabant, ut nihil minùs, qvàm Cæſarem, populoſqve fide cònjunctos fruſtraretur & falleret, contra autem omni conatu atqve cura efficeret, ut immaniſſimorum hoſtium, ab adverſo Iſtro ſe effundentium domarentur effrænatæ libidines, & cædes rapinæqve, inſtructâ acie, & facto certamine compeſcerentur. Sæpe tunc Saxo, & ſemotis arbitris, cum LEOPOLDO graves de republica ſermones habuit, & voluntatem ſalutis publicæ cupidam abunde patefecit, ſimulqve eripiendæ è periculo Hungariæ viam & rationem tempeſtivè repertam aperuit, & cunctantes ad belli ſocietatem exemplo ſuo induxit, atqve annitente HENRICO, monuit atqve hortatus eſt, ut antiqvæ virtutis memores, ſua qvisqve auxilia ſummitterent, regnumqve a Turcarum crudelitate defenderent, & in armis, tam piis & juſtis omnia ſita eſſe, cogitarent. Dura

qvi-

qvidem initia, & plures moleſtiæ, itineraqve longinqva, numeruſqve & inſidiæ hoſtium, atqve impetus confertiſſimorum agminum, & periculum anceps, incertuſqve præliorum eventus, atqve hoc major paſſim formido, graviorqve negotii moles, & expeditionis difficultas, ſæpe Duces ab incepto retinent, auſuroſqve diſtrahunt, & valde deterrent, atqve optima etiam conſilia remorantur interdum, ut, priuſqvam ſeſe expediunt, periiſſe fateantur. Benignius HENRICO ſvadenti auſpicium datum eſt, qvando optatis fortuna reſpondit, & ſententiam qvoqve ejus rectiſſimam duæ inſignes victoriæ confirmârunt, qvibus barbari ad petendam pacem adacti ſunt, & factâ conveniendi poteſtate, more ſuo inducias pacti, de Hungaria, qvæ Auſtriis fide conjuncta eſt, deceſſerunt, cladeſqve apud Levam, & Gothardi fanum aceptas, perfidiæ ſuæ teſtes eſſe agnoverunt, atqve ignominiam dedecuſqve muſſantes, Romano nomini, populoqve Germano & ſociis hanc belli confecti gloriam maximè inviderunt, cum eripere non poſſent, & jam pudori ſibi eſſe intelligerent, miſſas ſuperbè voces, minarumq; plenas, viderentq; nō ferire milites, atq; pro nihilo putari & ſperni, ſi lites fuerint, qvæ armis dirimantur. Firmatis ibi rebus, finibuſqve con-

 ſtitu-

conſtitutis, cunćta domi proſperè evenerunt, & aliqvanto poſt de ſtirpe AUGUSTI augenda, Saxonumqve gente propaganda mentio injećta, conſiliumqve pariter ſuſceptum, atqve perfećtum eſt, in qvo populi nationeſqve ampliſſimæ, HENRICI merita contemplantes, lætum & inſigne orbitatis remedium, certamqve amicitiæ & affinitatis, & auxilii ſpem, vitæqve & fortunarum, rerumqve omnium robur, ac præſidium non fragile tutumqve, haud dubio fœcunditatis omine deſtinabant, vix capientes novum illud & incredibile gaudium, qvo animi civium, ſublato metu, temporumqve ſqvalore, permulcebantur. Non enim non optimè merentur de ſocietate hominum, qvi humani generis curam agunt, domuſqve munimenta in liberis qværunt, & pacem ſalutemq; gentium connubiis roborant, vinculisqve neceſſitudinum arćtiùs jungunt, & cavent, ne regnantes familiæ inclinentur & exoleſcant, vigoremqve, non ſuffećtâ ſobole, amittant, aut mutent, qvaſiqve proceræ arbores, non altis defixæ radicibus cadant, ruiniſqve opprimantur. Qvod providit æqvè ac avertit conſilii arbiter, & æqvo Numine ſenſit fieri, ut ſummi Principes reipublicæ cauſam ſuſciperent, nuptiaſqve Auſtriæ & Saxoniæ proſperas

ras paciſcerentur, Germaniamqve & finitima regna amore ac benevolentiâ conjungerent, potentiamqve juſtâ ſucceſſione firmarent, idqve non magis ſuæ gloriæ, qvâm civium tranqvillitati darent, præſtaturi felicitatem temporum, qvibus togæ ſtudia maximè expediunt ac florent. Qvod non aliter evenit, atqve ipſi ſecum cogitârunt, hominumqve numerus pariter & ſeculi felicitas aucta eſt, magnaqve agrorum ubertas, & frugum copia extitit, terraqve hæc, omnium rerum proventu redundans, domos implevit, urbeſqve locupletavit, nec grando ſementibus nocuit, aut fulmen percuſſit, nec gravitas aëris, aut fœda tempeſtas cœlum contraxit, neqve unqvam annonæ caritas, aut fames audita eſt, ſed omnia proſpera atqve ſalutaria nobis contigerunt, &, miro aſpicientium gaudio, utiqve ſentibus ac ſylvis lætæ & fœcundæ ſegetes ſucceſſerunt. Dum ita ſuis qvisqve bonis, ſummâ patriæ tranqvillitate fruebantur, præter ſpem nubes coorta eſt, qvæ ſerenum illud fortunatumq; tempus aliqvandiu obſcuravit, & velut offusâ turbidarum rerum caligine, ſolis pace fulgentis conſpectum ademit, magnumqve imbrem minata eſt, atqve in populos inter commoda commerciaqve ſecuros effudit, qvem multò ante

te proſpexit HENRICUS, & cum arcere non poſſet, omnibus viribus effecit, ut patriam ne obrueret, ac minori ſaltem damno decideret, & ad ultimum qvoqve tanti fons mali, ſi poſſibile eſſet, prorſus obſtrueretur. Per id tempus Moſa, & Rhenus Iſaliſqve, & ipſe etiam Oceanus Germanicus velut æſtu qvodam gravium miſeriarum efferbuerunt, regionesqve Belgii fluctibus agitatæ, & qvaſſatâ libertate, prope demerſæ, à metu naufragii, atqve ab interitu proximè aberant, qvum benignum auſpicatumqve ſidus ex Auſtria, velut è cœlô, effulſit, impetumqve hoſtium ſtitit, & procellas, tempeſtatemqve omnium fortunis imminentem ſedavit. Qvid ageret, qvid ſtatueret HENRICUS, cum multos a pace averſos, alios ambitione impeditos, plurimos metu perturbatos videret? Totos dies conſiliis dabat, & ſiquando opus erat, noctes jungebat, rationemqve Principi reddebat, qvamobrem feſtinato itinere iret ad Cæſarem, & tempus locumqve alloqvio concederet, atqve cum patriæ charitate calculum poneret, bellumqve a finibus averteret, qvod cum periculo libertatis conjunctum eſſet. Recta qvippe exempla incautos inſtruunt, pavidoſqve confirmant, atqve bonos accendunt, fortibusqve ſtimulos addunt, ac ſine aſſentatione

lau-

laudari debent, nec niſi apud factioſos in odio ſunt, & corruptis vitio mentibus diſplicent, atq; his modis plerunq; invidiam conflant, ac tædio præſentium negliguntur. At SAXO, pulchri effector operis, ſine libidine & odio optimis partibus ſe conjunxit, & comite HENRICO, laborumqve ſocio, Egram profectus, magnam lætandi cauſam LEOPOLDO præbuit, nec valetudini ſuæ, graviqve ſenectæ parcens, inter primos adfuit, & ſanctè obſervatus eſt, datoqve prudentiæ ſpecimine, ad pangendum fœdus operam contulit, ut non minùs in cauſa juſta ſuffragator, qvàm in communi patriæ diſcrimine adjutor eſſet. Reliqva in HENRICI ſolertiam rejecit, qvi ſuperiori felicitate confiſus, libenter fecit imperata, & vicit difficultates, qvibus moram tarditatemqve afferri prævidit, atqve ſocios amicosve junxit pariter, & metu ſolvit, & rationes omnes ad repentinum qvemvis caſum inſtructas paratasqve habuit, easqve gravi & ampla oratione diſſeruit, ac deinde ad Saxonem retulit, qvi omnia ejus acta perinde rata habuit, ac ſi ipſe egiſſet. Non ſuſpecta fides, & conſiliorum ſumma maturitas ex fama rerum diu cognitæ celebrataqve erant, ſed tunc earum qvoqve admiratio cepit præſentium animos, Cæſaremqve commovit,

 ut

ut familiariter, nec parcè loqveretur de HENRI-CI virtutibus, & dotes ejus, atqve omnia conſulta & facta magni ſibi eſſe diceret, &, cum ab legatis atqve internuntiis, eandem in ſententiam laudaretur creberrimè, plus qvam comiter ac benignè reſcriberet, notam ſibi eſſe abſentis fidem, nec animo excidiſſe prudentiam, ob qvam in eo amando ne Saxoni qvidem concederet, atqve adeò multa illius in ſe officia agnoſceret, & libentiſſimè commemoraret. Tantus verò non dico teſtis, ſed rerum conſiliorumqve æqviſſimus judex falli non potuit, qvi præſens vidit, & exqviſitâ ratione æſtimavit, qvæ alii non falſa qvidem, ſed meritis ipſius minora auribus acceperunt, atqve eò minùs de vera ejus gloria detrahere auſi ſunt, qvòd negotiis, in qvibus prudentiſſimè verſatus eſt, non interfuerunt, neqve dignitatem corporis, & amplam atqve magnificam ſpeciem, & capaciſſimam animi ſedem, & cultum habitumqve ſine oſtentatione ſplendidum, ac Senatore dignum, & cum ſumma veneratione conjunctum inſpicere potuerunt. Atqve hi tamen magno conſenſu HENRICUM admirantur & colunt, nomenqve ejus ſibi & poſteris amandum proponunt, nec mediocrium opinione hominum, qvanqvam & horum non ſpernenda ſententia eſt,

ſed

ſed judicio imperatoris Auguſti, Regumqve literis, & teſtimonio Principum, tabuliſqve publicis, & commentariis gentium, qvas manſvetudo imbuit, nituntur, idqve ævo, qvod illuſtravit, debere ſe putant, ut monumentis, qvæ nulla oblivio auferat, tot tantæqve illius laudes conſecrentur. Non qvin ſine hac opera perfectæ omnibus numeris ſint, pondereqve ſuo ſtent atqve firmentur, ſed qvia gratæ mentis ratio habenda eſt, atqve his præconiis etiam poſteritati lumen accenditur, & beneficiorum recordatione magis diffunditur, ac ſubinde ad originem, qvæ ſuo ſplendore lucet, qvaſi reflexo itinere revertitur, atqve hinc demum radios accipit, & qvoqvoverſus dimittit, oculoſqve perſtringit, ut non aliunde, qvàm a ſole ipſo oriatur. Tanto magis nunc ſeculo gratulandum eſt, qvod HENRICUM cœli benignitate eduxit atqve ſuſcepit, & Saxonici felicitate ſoli adjuvit & auxit, ac luce reipublicæ ſatis ſuperq; colluſtravit, totumqve ita circumfudit, ut vis ejus deinde evidentior eſſe non poſſet, ſplendorqve omnes contingeret, atqve ad eos maximè pertineret, qvi in rerum faſtigio, atqve in ſenatu, & amplis arduisqve vitæ negotiis verſantur. Eruditos non excipio, ſed illos potiſſimùm intelligo, qvi Grotios, Puteanos & Voſſios

æqvant, qvorum conſvetudine & literis impensè delectatus eſt, atqve his deliciis pavit animum, & curas remiſit, ſvaviterqve temperavit, & genus ingeniumqve pari gloriâ evexit, ac nemo facilè tunc inter doctos floruit, qvin HENRICUM famâ cognitum valde obſervaret. Prudentiam & conſilii auctoritatem ſagaces Itali, & magna naturæ doctrinæqve adjumenta Germani, & Angli Belgæqve certatim, nec mediocriter Galli laudabant, magnumqve in eo & immortale patriæ decus luculentâ, nec vulgari appellatione deſignabant. Liberalitatem ejus non ignorant alii, nec illiterati homines, & grati memoresqve prædicant, præſertim verò clientes jucundè repetunt, atqve uno animo fatentur & celebrant, qvorum multos propenſiſſimâ voluntate excitavit & fovit, nec paucos ſtipendiis invitavit, atqve conduxit, plurimos deniqve inſignibus præmiis affecit. Qvare omnes, qvotqvot fortunis everſi jacebant, ærumniſqve premebantur, ad eum confugiebant, & opem atqve ſubſidium petebant, in qvibus admittendis non difficilis, ſed nec in amplectendis repentinus, in explorandis autem cautus, & retinendis conſtans erat, frugaleſqve & probos accuratè internoſcebat, & gnavos obſeqventesqve commendatione, & auctoritate,

atqve

atqve opibus ſæpiſſime juvabat. Cum peritis myſteriorum de Deo, de providentia æterna rebusqve ſolâ mente intelligendis perinde loqvebatur, ut ii ſolent, qvi ex dignitate muneris tractant, atqve in fines artis deſcribunt, & apto ſcitoqve ordine complectuntur. Omitto judicia & leges, qvibus honorem ac pretium reddidit: prætereo rationes diſtrahendarum litium æqviſſimas, rerumqve judicatarum exempla, qvæ ſemper in numerato habuit: reticeo argumentorum copiam, ſententiaſqve majorum, & reſponſa prudentum, atqve inſtituta reipublicæ, & conſilia cauſasqve negotiorum retruſas, quibus non modò decus, ſed admirationem ſibi peperit, & epiſtolas libelloſqve diligenter evolvit, atqve inter jureconſultos diligenter conſedit, famamqve jurisprudentiſſimi conſecutus eſt, qvam juſtè agendo retinuit, ſalutemqve omnium defendit, atqve hanc victoriam ita ſibi aſſeruit, ut omnibus triumphis anteferret. Neqve literarum ſtudia infra ſe duxit, & principia fontesqve rerum, & artium receſſus magno ac felici conatu ſcrutatus eſt, & cœlum terramqve, & qvicqvid his continetur, mente complexus, hoc regnum ſapientiæ eſſe cenſuit, qvod uſu conſvetudineqve procerum inſigne commendatumqve reddatur,

qvodqve ejusmodi ſit, in qvo elegantia ſvavitasqve poſita cernatur, & animi deliciæ qvaſi jure ſuo dominari videantur. Adhuc autem nemo repertus eſt, qvi de illo doctrinæ genere rectiùs exiſtimare poſſet, atqve potuit is, qvi magno ſibi uſui fuiſſe ſenſit, & in republica expertus eſt, ac ultrò dixit & apertè confirmavit: neqve majus unqvam pondus eruditio accepit, qvàm ab æſtimatione ſapientiſſimi hujus Senatoris, qvi voce & ſententiâ comprobavit hoc decus, atqve hinc plauſu admirationeqve exceptus eſt, tanqvam præſes cuſtosqve dignitatis literarum. Et qvid non de eo affirmabunt, qvi faſtos annaleſqve componunt, & rerum temporumqve ſeriem ordinant, qvorum tota laudis ratio atqve ſpes in eo ſita erat, ut ab illuſtri diffuſaqve HENRICI ſcientia auſpicium peterent, atqve a judicio ejus admirabili, & prudentia recondita artis ſuæ lineamenta, & operis ſpiritum coloremqve ducerent, fabulisqve detractis, & ineptiis velut ſordibus deterſis, ſpeciem formamqve præſtantem corpori nitido, nec labe corrupto accommodarent. Belli eqvidem artes non exercuit, ſed nec ignoravit, & conſilio ſæpe armatos hoſtes vicit, & de re caſtrenſi, ac de acie veterum, de inſtrumento bellico & machinis, de apparatu

mi-

caſtrenſi & ſitu locorum, de muris munitionibusqve urbium, deqve obſidionum ratione & modo copioſè graviterqve diſſeruit, & temporum atque hominum cauſa Polybium Vegetiumque interdum, ex uſu & inſtituto recentioris militiæ, aptâ & opportuna comparatione explicatum reddidit, & ne omnino unqvam otioſus eſſet, ſcitè ſapienterque illuſtravit. Profectò enim, quod doctrinâ dignum decorumque ſit, nihil uſquam in ultima Græcia & Latio, nihil in priſca & hodierna Europa reperiamus, quin a rudimentis inchoârit atque perfecerit, quaſique ad ſuam maturitatem perduxerit, haud ſecus, ac plantæ illæ, quæ incrementorum quædam intervalla habent, atqve a tenui initio ſurgunt, paulatimqve adoleſcunt, ſeminumqve vim referunt, & ad molem magnitudinemqve, velut ad juſtam ætatem, aſcendunt. His atqve ſimilibus fere ſpatiis inſtitit HENRICUS, & vi ſuâ ſe movit, ſenſimqve evexit, & ramos foliaqve emiſit, magnamqve fructuum copiam effudit, atqve in rempublicam, ut induſtriæ ſuæ campum traduxit, lateqve diſperſit, & propagando non amiſit. Mirum dictu, & qvod alibi fidem excedit, rerum veritas in HENRICO tuetur, & plura laudum exem-

pla habet , cumulateqve offert, de cetero ſimplex & ingenua eſt, nec alienâ ſpecie fallit, & pigmenta reſpuit, faciemqve ſuam nativo colore demonſtrat, atqve omnes conqviſitas elegantias aſpermatur. Qvare hoc nomen virtutis eſt, qvo HENRICUM appello, dignum æternitate nomen, qvod Pater habuit, Filioqve donavit, ut reipublicæ fauſtum lætumqve eſſet, ac deinde Gnatus rei bene gerendæ omen ſignumqve acciperet, paternoqve ſtaret exemplo, majorumqve decora transmitteret poſteris, & quam obtineret auctoritatem muneris, firmâ poſſeſſione retineret incolumem; atqve uno tenore ſervaret in magnis honoribus, & voluntate conſtanti adhiberet in vitæ partibus, fortunamqve temporum ferret placidè, & regeret ſapienter. Qvod forti atqve compoſito animo HENRICUS perinde curavit ac præſtitit, & ominis nominiſqve fidem accuratè implevit, fundatamqve virtute magnitudinem ratione temperavit, & conſilio moderatus eſt, curſuqve gloriæ ſine caſu & prolapſione confecto, Principem JOHANNEM GEORGIUM II. haud longo expletæ mortalitatis intervallo præceſſit, atqve id non communi qvadam lege, neqve fortuitò & caſu evenit,

ſed

ſed æterno Numinis conſilio proviſum decretumqveeſt, ne unà non eſſent in cœlo, qvi unà vixiſſent in terris, & ſociati conſiliis, nec fracti laboribus, ævi hujus ærumnas atqve ſolicitudines fauſto exemplo, & ſumma felicitate ſuperaſſent. Utriqve Deo chari, & ſimul ad patriæ ſalutem exciti atqve delecti, reiqvepublicæ utiles, votisqve expetiti, nec minùs famâ innocentes, & vitâ puri, moribuſqve ſancti, ac ubiqve beneficiis cogniti, & omnibus accepti, & æqvè omnibus deſiderati, in novam atqve ſempiternam ſedem anſierunt, ut magni illi diviniqve animi, pro metu & inſidiis, tutò libereqve ſe explicarent, & in lucem libertatemqve ſuam vindicati, in cœleſti manſuraqve civitate illibatam ſanctitatis gloriam ſecurè tutarentur. Sed paulo ante HENRICUS è miſeria, & ſervitute rerum humanarum expeditus eſt, neqve id non commodè ei accidit, qvi animo & vitâ ſic erat conſtitutus, ut ſummâ ſemper celeritate Principis negotium ageret, arduaſqve res tractando faciliores redderet, religionemqve hujus obſeqvii ne moriturus quidem negligeret, aut exoleſcere pateretur. Inde morbo impeditus, cum ſe ipſum exhibere non poſſet, votorum ſaltem pietate functus operam dedit, ut

 col-

collata in ſe beneficia ſubinde agnoſceret, eorũqve memoriam reverenter & ſanctè renovaret, cupe-retq; ſe erepto, amicos præſtò eſſe plurimos, qvi rempublicã non deſtituerent, præſideinq; ejus Saxonem re, conſilio, operâ, auctoritate ſublevarent Hæc voce & per epiſtolam precatus, non tanqvam moriturus, ſed qvaſi commutatâ habitatione exiturus, in aliud, atqve auguſtius domicilium divertit, neqve arctâ corporis compage teneri, aut aliqvo terræ loco concludi, aut ullis unqvam finibus circumſcribi potuit, neqve ſtirpi ſuæ ſubtractus, ſed redditus, Principem anteha fide, officiis, obſeqvio cultum, & aliquar easdem fortunatiſſimas ſedes ingreſſum, in Dei conſpectu, & cœlitum ſocietate excepit, & ſancto comitatu deduxit, jamqve ei rurſus vitæ immortalis & famæ perennis, rerumqve æternarum uſu & conſvetudine conjunctus, & ultra terminos mundi, atqve ipſius naturæ metas evectus,

ſemel fortiter vicit, ſemper glorioſè

triumphabit.

1062 :
2

99 958 709